

F.R.104.

14

XZ120703

Z e
2985

Q. R. B. V.

HILARIA,

NOVELLI CAPITANEI PROVINCIALIS,
ILLUSTRIS,
GENEROSSIMI EXCELLENTISSIMI QVE
DOMINI,

DNI JOHANN. CHRI-

STIANI DE Schönb erg/
IN Lohse/ Kummerau/ ETC. TOPARCHÆ,
SAXONICO-ELECTORALIS CONSILIARIU AC CO-
MITIS SPLENDIDISSIMI,
VIRI SUFRAGIIS OMNIUM EXPECTATISSIMI.
MUSARUM PATRONI OPT. MAX.
HONORIBUS,
NONNULLI OPT. SPEI JUVENES.
LUSATI OMNES,
BONO OSCINE

PALÆSTRA CIVILIS ELOQVENTIÆ
PRODITURI,
IIDEMQVE ET IPSI STYLOM UTRIUSQUE LINGVÆ,
LINGVÆ LATINÆ ET GERMAN.

EXERCITURI,
ACTU ORATORIO CIVILI
PRACTICO

IN THESI ET HYPOTHESI
POST

PASCHALIA,

ANNO eis Ic LXXXIX, D. XV. APRILIS,

ANTE ET POST MERIDIEM,

DABUNT.


SOLEMNITER INDICIT

CHRISTIANUS FUNCCIUS,

AUGUSTI GYMNASII GORLIC. RECTOR.

GORLICH STANNO ZIPPERIANO.





L. S.



Dem Ego, qvi PARENTALIA, DIVIS Viri, heu
qvondā! de Patria longē meritissimi, hodiè vero bea-
tissimi, MANIBUS, Manibus videl. *Illustris, Gene-*
rofissimi Excellentissimiq; Domini, DNI CHRISTO-
PHORI VICEDOMINI ab Ecclstat / Toparchæ,
qvum in vivis esset, in *Jahmen/ Dürbach/ Klieten/*
Eseleberg / &c. Consiliarii ac Comitis Saxo-Electoralis
Splendidissimi, Splendidissimi item per hunc Super-
Lusatiae Marchionatum Capitanei Provincialis, à duo-
bus bonæ spei Adolescentibus danda, Anno superiori indicebam, HILA-
RIA currente hoc Annō, NOVELLIS Viri & ipsius *Illustris, Generofissi-*
mi Excellentissimique Domini, DNI JOHANNIS CHRISTIANI de-
Schönberg/ Felicissimi in Lohse/ Rummertau/ &c. Toparchæ, Serenissi-
mo Potentissimoque Saxonum Electori nihilominus à Consiliis & Comitatu,
Capitanei Lusatiae hujus Super. Provincialis Eminentissimi, summi DEI au-
spiciis suffragiisqve omnium, omnium & expectationibus Bonorum, fe-
liciter haut ita pridem electi, juxta ac confirmati, ipsis tandem Comitiis
Provincialibus, extra ordinem edictis, Prid. Eid. Febr. per *Commissar. Elec-*
toral. Splendidiss. Ordd. Illustr. repræsentati, HONORIBUS à meliori
Studiosæ nostræ Juventutis Parte post PASCHALIA solemnissimè danda,
indico. Erant alioquin HILARIA utriqve eruditiori qvondam in uni-
verso Terrarum Orbe Genti solemnia. Solemnia Atticæ erant Genti:
erant Latii potissimum Genti admodum solemnia. Athenis nimirum
Festa hæc, eaqve publica alia, alia privata, non pietati, sed lætitiae, Græ-
cissimo, ut ita loqvar, *JOHANNE MEURSIO* in *Græcia Feriata* referen-
te, habebantur consecrata. Habebant utiqve Athenienses, *Maximi Monachi*, è Scholiis ad Dionysii Areopagitæ Epistolam octavam Latinè red-
ditis, Verbis, aliquot dies: qvos Hilarios nucupabant: erantqve horum
privati alii, & *HILARII* Masculino appellabantur Genere: veluti si quis
nuptias celebraret, aut si natus alicui esset filius. Alii verò vulgares erant
ac publici, Neutroqve Genere *HILARIA* vocabantur: veluti, qvum
Rex aliquis, publicè proclamatus, τὰς δημοσίας ἡλιαρίας, h. e. publicas hilariás, subditis exhiberet. Et his qvidem diebus nequaquam lugere li-
cebat: sed spectacula & sacrificia cotidie exhibebantur, judicia differeban-
tur, ludi spectabantur, convivia per omnes, Hilariis his dicatos, dies
apparabantur. Apud Romanos deinceps proprio nomine *HILARIA*
Festum Matri Deūm sacrum dicebantur. Die np. XXV Martii, qvi IIX
Kalend. Apr. est, Hilaria erant. *Ad IIX. Kalend. Apr. Vir Consularis &*
Illustris, idemqve & reconditæ scientiæ Auctor, MACROB. scribit, exord.
lætitiae celebratur: quem diem Hilaria appellant: quō primū tempore Sol
diem longiorem nocte protendit. Hilaria verò in honorem Matris Deūm
qvod celebrarentur qvondam in Latio, è laudato Macrobo constat &
Lampridio. LAMPRIDIUS enim in Alexandro Severo ita scribit: Kalen-
dis

dis Januariis & Hilaris Matris Deum, & Ludis Apollinaribus, & Jovis Epulo,
& Saturnalibus, & hujusmodi festis diebus &c. De temperantia ibidem & fru-
galitate Alexandri Severi futilis, si scribendi genus spectetur, cæterum
necessarius, si ipsum scribendi spectemus argumentum, Polyhistor, loqui-
tur: scribitq; & in Aureliano VOPISCUS de Hilaribus, his omnia Festa &
fieri debere & dici. Sic ergo, quum HILARIA non heri aut nudius tertius
enata, sed priscō jam ævō in Attica & Latio data sint, non ineptā voce,
neque & recenti more, ore verò Christiano HILARIA hodie indico:
qvæ ACTU ORATORIO CIVILI PRACTICO Novis Novelli Domi-
ni CAPITANEI PROVINCIALIS Honoribus ab optimis, è nostra
Civilis Eloquentiæ Palæstra prodituris, Stylumque & ipsum, optimum in
Latina æqvæ ac Teutonica Lingua dicendi Magistrum, exercituri, Eph-
ebis dabuntur. Etenim, posteaquam pia Mater Ecclesia HILARIA sua
SACRA, & Pietati & Hilaritati Christianæ jam inde à XVI. Seculo, ac
qvod excurrit, consecrata, debit is REDIVIVI JESU sui Honoribus, in-
ter mera jubila ac plausus paschales, in Petrino nostro ac Paulino Tem-
plo nuperrimè dedit, danda nunc qvoque à Nobis in Augusto hoc ad Nif-
sum Gymn. HILARIA sunt CIVILIA. HILARIA hilaritati, inqvam,
publicæ, post novissimè qvidem elapsa PASCHATIS HILARIA, danda
sunt PROVINCIALIA. Festum hilaritatis s. lætitiae provincialis puto:
qvod, paucis abhinc elapsis Septimanis, inter lætissimos Lusatiae nostræ
Superioris applausus, auspicatissima NOVELLI CAPITANEI PRO-
VINCIALIS, Atavis editi Heroibus Mæcenatis, h. e. literarum literato-
rumque Fautoris nominatissimi, ipsius & literatissimi Eqvitis, electio,
constitutio, confirmatio, repræsentatio peperit Nobis. Tam fœcundus
autem Festi hujus partus ap. Nos fuit: ut sub manibus qvafi, & in THE-
SI & in HYPOTHESI. nasceretur ACTUS qvidam ORATORIUS CI-
VILIS PRACTICUS: qvō TANTI PATRONI admiratores nonnulli
devotique cultores, Novis Ejusd. Honoribus humillimè assurrecturi, juxta
& Stylum in utraqve, Latina ac Germanica Lingua, liberrimè exercituri,
inter festivos tympanorum, tubarum, tibiarum ac fidium sonitus mera
ac vera darent HILARIA. Atqve ACTUS hic ORATORIUS noster,
CIVILIS & ipse, ipse item PRACTICUS, qvō & Civilitatem simul suam
& Praxin Oratoriam, juxta Nobilissimi WEISII ductū, Venerabili Auditorio
Nostrī probabunt, qvoniam craftini, si DEUS voluerit, Die, duabus ante,
ac totidem post Meridiem currentibus Horis, in Palæstra nostra Oratoria
totus è prompta memoria solemniter exhibebitur: Solemnitati huic Gy-
mnasticæ, HILARIA nostra concelebraturi, ut bono corde SUMMI,
MEDIO XUMI, IMI in Civitate hac Gorlic. interesse haut dedignantur,
officio, cultu, amore omni omnes rogo, invito, solicito. Adeste proinde
PATRONI, adeste FAUTORES, adeste AMICI, literati & illiterati
Viri, qvotqvot in hac Urbe & extra Urbē estis, freqventes tam post auditā
horam matutinam VIIImam, qvam horā post meridiem craftinæ lucis
Imā adeste! Adeste omnes auscultaturi, spectaturi, testaturi. Cumpri-
mis verò Vos PATRES Reipubl. nostræ CONSCRIPTI unius Quadrage-
tiorii spatium Vestris negotiis ad Actus nostri solemnioris decus Vobis
eximi patimini, prædictis HILARIBUS freqventi præsentia lucem &
splendorem haut gravatim circumfusuri. Næ Ego certè sedulo dabo
operam: ut hoc favoris ac benevolentia genus recte æstimetur, atqve
adeò, ceu Pöeta ait,

semper apud memores tanti stet gratia facti.

P. P. GORLICII Luf. D. XIV.
Apr. Anno tis Ic LXXXIX.

Le 29.8.577

PERSONARUM & RERUM ELENCHUS.

SALUTATOR.

JOHANNES MARTINUS Möller / Gorl. Luf.

qui vel ipse, ob tam freqvens Auditorum hilaritate in HILARIIS
bisce CIVILIBUS qv. ebrius factus, in conspectum prodibit, ac
præsentes Auditores Oratione Latina humanissimè salvere jubebit,
vultus Idem serenos dicturis e blanditurus.

PROLOGUS.

JOHANNES GEORGIUS NEUMANNUS, Gorl. Luf.

Carmen Epicum de Eloquentia omnibus viribus majori, ansa
è Nomo ap. PIERIUM in Hieroglyph. L. I. c. XXVI. in quo leo an-
terioribus pedibus ad humum inclinat, desuper verò caduceum
Mercurii cum Lemmate, VIRES CEDERE ELOQVENTIÆ,
conspicitur, sumptâ, præcenturus, inqve eodem & ipse, factâ dein-
ceps Apodosi, Benevolentiam Auditorum captaturus.

ORATORES CIVILES

in.

THESI.

I. WOLFFG. FRIDERICUS de WARNSDORFF, Eqv. Luf. S.

Orationem Civilem German. in Thesi, qvæ nomine Principis à Com-
missario ejus sub introduct. NOVI CAPITANEI PROVINC.
baberi posſit, recitaturus.

II. JOHANNES CHRISTOPHORUS de Penzig/ Eqv. Luf. Sup.

Orationem in Thesi alteram Civilem German. qvâ ad superiorem
Orat. Orator aliquis Provincialis ORDD. PROVINCIALIUM
nomine respondere posſit, habiturus.

III. CHRISTIANUS DAVID FUNCCIUS, Gorlicensis Luf.

Orationem in Thesi Civilem German. tertiam, qvæ CAPITA-
NEUS PROVINCIALIS ipsem ad Orationem introducet. oriam
Commissario Principis respondere, degve se optimam cùm PRINCIPI
suo, tum & PATRIÆ, inqve hac ORDINIBUS præcipue, spem facere
posſit, ab ore daturus, sed finito Actu ipse Vale suum Scholæ Augusta
dicturus.

IV. JODOCUS CHRISTOPHORUS CATO, Schoenb. Luf.

Oratione Civili Latina in Thesi dicturus, ac ficto à Principe missi
COM-

1017



COMMISSARI^I nomine Novellum Provincia Capitaneum ORDINIBUS presentaturus.

V. BENJAMIN NEANDER, Reichenbachio-Lusatus,
dicturus & ipse in Thes^z Oratione Civili Latina atque ad Commissarii Orationem facta ORDINUM nomine responsurus.

INTERLOCUTOR.

JOHANNES MATHÆUS Wiesner / Rengersd. Luf.

Carmine ipse Teutonico suo filum quasi prius Actus nostri Oratorii Civilis Practici inopinat^o abrupturus, & ad pransandum Auditores dimissurus, Idem verò ille ad alteram Actus ejusd. Partem, Horis pomeridianis audiendam, decenter invitaturus.

ORATORES CIVILES in HYPOTHESI.

I. WOLFFG. FRID. de WARNSDORFF, Eqv. Luf. Sup.

Oratione, quæ tota Emblematica, suo, quod dicitur, Marte conscriptâ, Novello DNO CAPITANEO PROVINC. DUAS STATUAS MARMOREAS, in Virtutis Alteram, Alteram in Honoris Templo, cum Lemmatibus suis erecturus, atque deinceps Eisdem nomine suo submissè gratulaturus.

II. Gottlob BEHRNAUERUS, Bertzd. Luf.

Oratione & ipse, quæ tota Emblematica, proprio Marte elaborata, Novello DNO CAPITANEO PROVINC. cum Lemmatibus suis ROSAM QVINQVE FOLIORUM porrecturus, atque sub Emblemate hoc tanti Herois Amorem erga Patriam, piam Eruditio- nem, Prudentiam, Munificentiam, ac non vulgarem Constantiam, dignis laudibus, sed modestè, celebraturus, Eisdem novos Honores Musarum Nisiacarum nomine humiliter gratulaturus, Vale denique Musis nostris dicturus.

III. NATHANAEL Heer / Gorl. Luf.

Oratiunculâ in Hypothesi Latina, eademque & ipsâ ad Epistola Epistolarum Manutianarum omnium Imæ faciem elaboratâ, communì nomine NOVELLO DNO CAPITANEO PROVINC. de novis honoribus gratulaturus.

IV. GODOFREDUS Neumann / Gorl. Luf.

id ipsum & ipse in Hypothesi, ad Epistola Manutiana Ilde imitacionem compositâ, Oratiunculâ fakturus.

B.

V. CHRI-

V. CHRISTIANUS NEANDER, Marckersd. Luf.

Oratione sua Latina, & Splendidissimo DNO CAPITANEO PRO-VINC. de novella impetrata, quam ornet, Sparta, & dulcissimæ quoque PATRIÆ de tanto Capitaneo Provinciali decenter gratula-tum iturus.

VI. CAROLUS PHILIPPI, Gorlicensis Lusatus,

sub arguta Inscriptionis Schemate novos OPT. DNO CAPITA-NEO Honores devotè gratulaturus, eundemque & commodò Patriæ vivere ac valere jussurus.

VII. CHRISTIANUS Gottlob Wiedemann / Gorl. Luf.

brevi Orat. Lat. Eminentissimo DNO CAPITAN. PROVINC. Romulidum illud ET acclamaturus.

IIX. JOHANNES JACOBUS PREIBISIUS,
Gorl. Luf.

Gratulatoria Latinâ Eundem eminentiss. Provincie nostræ CAPI-TANEUM Oratiunculâ excepturus: is ipse nempe inter sub-orta novelle dignitatis gaudia & Capitaneo tanto de splendidissima impetrata Sparta, et tanta quoque Sparta de splendidissimo impetrato Capitaneo submissè gratulaturus.

EPILOGUS.

CHRISTIANUS Vand/ Bernstad. Luf.

Carmine Heroico Colophonem toti additurus Actui, idemque & decentes Venerabili Auditorio gratias, cùm pro gemino accessu, tum pro benevolâ auscultationis continuazione, additò votò, additâ item obsequiorum officiorumque civilium pollicitatione, acturus.

MUSICUS.

RUDOLPHUS Erdmann ERMELIUS,
Cala - Luf.

Odis suis inter Musicos concentus Musicis audiendum se staturus, harumque alterâ Dnos Auditores honorifice excepturus, alterâ Eos-dem honorifice dimissurus.

SOLI DEO GLORIA.

Ad

Ad
Illustrem,
Generosissimum, Excellentissimumque
Dominum,
DN. JOHANNEM CHRISTIANUM
de Schönberg/
Virum Gente & Mente eminentiss.
MUSARUM PATRONUM OPT. MAX.
INSCRIPTION.



Subiisti,

VIR ILLUSTRIS,

*Supremi in nostra hac Lusatia Super. Honoris Templum!
Templum, juxta Virtutis quod positum est Templum,
subiisti!*

Bene ac sapienter Romani,

ut alia priscae illius etatis erant;

*gemella Aedes Honori ac Virtuti facie junctim locarunt.
Comminiscebantur enim prudentissimi Rerum Arbitri,
potentissimi Gentium Domini:*

quod in Te, & Gente & Mente nobilissimo Viro, videmus.

IBI HONORIS PRÆMIA ESSE,

UBI MERITA SINT VIRTUTIS,
comminiscebantur.

Impetrasti nimirum GENEROSISSIME DOMINE:

quicquid impetrari a Te,

pro summa sua Clementia,

INDULGENTISSIMUS PATER PATRIÆ
woluit.

Facile alijs dicit situm,

aut etiam senescit,

Natalium ingenuitas:

nisi Mentem inveniat:

qua Virtutis Doctrinæque cultu capiatur.

Sola Virtute & Doctrina vivitur.

Doctrina ac Virtute venit Honos.

Felice

Felix iterumq; felix: qvem utraqve subvebit ala.
Felicior ab hoc gradu: gradus nisi sifit.

Non sifit:
si ab altiori Virtutis Fama loco Templum Honoris
pandat.

Felicitissimus denique est:
quisquis Doctrinâ comite idem occupat Templum.

Etenim,
ut in alto per Virtutem stare gloriosum,
ita cum Eruditione ac Doctrina ibidem stare rarum est
ac carum.

Utrumq; hoc probare Nobis pergit,
EXCELLENTISSIME HEROS:

ut probasti hactenus,
Titulis utiq; jam ac dignitate major!
Sic Virtus, sic Doctrina dignum Te reddent:
qui magis magisque colaris.

Dignum Te utraq; reddet:
qui Sparta huic splendidissima cum laude diu præsis.
Sic & quilibet Eruditorum Te commendabit Romanè,
b. e. optimè.

Commendabit Te quisque:
quod,
& per Doctrinam & per Virtutem,
ad Provincialem hanc administrandam Spartam sis
admotus.

Sic Patria Te colet Tua,
ipsaque,
ut præsentes Tibi gratulabitur honores,
ita applaudit futuris.

Vive ergo,
Vir in suprema Honorum Specula collocate!
NOVELLE PROVINCIAE CAPITANEE
vive!

Vive DOMINE:
ut virili hac atate Vir sis:
qui eras, quum non esses!

Vive:
ut senili laude fias venerabilis.
Sic vovemus univeristi:
sic vovemus singuli.

Idem & ex Alto promittit DEUS.

C. F. R.
Dec

F.K.104

14

X2120705

Ze
2985

Q. R. B. V.

HILARIA,

NOVELLI C.
GENEROSSISSI

DNI JO
STIA
IN Lohse / Kumi
SAXONICO-ELEC
MIT
VIRI SUFFRAGI
MUSARI
H O N
NONNULLI
L U

PALÆSTR
IDEMQUE ET IPS
LINGVÆ

ACTU O

IN T
P
ANNO eis Ia
ANTE
SOL

CHRISTIANUS FUNCCIUS,
AUGUSTI GYMNASII GORLIC. RECTOR.

GORLICII STANNO ZIPPERIANO.

